



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De canone Missæ tit. 112

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

At inquit: Nos recipimus bonum opus, non autem facimus. Nā Sacramentis nos solum recipimus bona, at sacrificijs & bonis operib. nos Deo aliquid damus. Ergo differunt sacrificium & Sacramentum. Respond. 1. Cori. 4. Quid habes quod non accepisti? ane fides est bonum opus? Philip. 1. Confidimus in Domino, quod qui cepit in vobis opus bonū, id est, fidem & ceter. Et 1. Paral. 29. Tua sunt omnia, & de manu tua suscepimus quę dedimus tibi. Nunquid nō elemosyna, oratio, &c. sunt bona opera? attamen illa omnia nos etiam accepimus. ipse Deus est alpha & ω, principium & finis omnium bonorum operū.

DE CANONE MISSÆ.

TITVLVS CXII.

PRIMO, Ambrosius in Epistolam Pauli ad Timot. 2. Canonem vocat, Ecclesię regulam, formam & morem celebrandi Missam, sicut Apostolus describit, quę consistit in obsecrationibus & orationibus, postulationibus & gratiarum actionibus: & dicit eadem venisse ab Apostolica traditione, & licet aliqua superaddita sint in canone à Gregorio & alijs, attamen seruanda, eò quod per totam Ecclesiam longo vsu sint conseruata.

Secundò, odiosus est Ecclesię catholicę canon hæreticus, scilicet propter duo, Primò, quod vocamus panem nondum consecratum & vinum, sicut munera, dona, sacrificia, & petimus propter illa remissionem peccatorum, & etiam eo fine offerimus. Secundò, quia inuocamus sanctos, mortuos homines, quę omnia vergunt ad derogationem Christi. Primò non dicuntur sic panis & vinum, secundum hoc quod iam sunt, sed secundum id, quod mox futura sunt. Sic Genesis XXV. Deus inquit Rebeccæ: Duo populi in utero tuo sunt, & duę Gentes egredientur de utero tuo, &

populus populum superabit, & maior seruiet minori. Sic isti in vtero dicuntur parentes, qui necdum nati sunt, & filiorum acceperant: nō dominantur Iacob & Esau patres, qui nondum erant nati: sic dicimus panem & vinum sacrificia illibata &c.

Tertiò, memoriam habemus sanctorum mortuorum in Missa, ex eo, quoniam omnium nostrum salus, id est, omnium membrorum, dependet à capite Christo, 1. Corin. 12. Igitur in officio illo publico, scilicet Missæ, memoriam agimus sanctorum beatorum. Deo gratias agentes, quod nostra commembra sic saluantur, & de medio huius sæculi nequam liberantur in constanti fidei confessione cum ore & cum sanguine, id precantes, quatenus Deus per eundem Christum nos sic liberet & saluet. Subindè etiam memoriam agimus fidelium Christianorum defunctorum, qui carnis fragilitate non sic vicerunt mundum, attamen in fide Christi mortui sunt: & pro illis oramus, vt si adhuc in pœnis purgatorijs reuertantur, Deus illorum dignetur misereri propter victoriam Christi, cuius corpus & sanguinem Christi hinc altari habemus.

Hęc igitur memoria sanctorum non derogat Christo, neque Sacramento, quando ad nihil aliud nisi laudes Dei dirigitur, & pro misericordia Dei pro nobis & mortuis deprecamur, propter Iesum Christum, qui solus causa est, vt hæc omnia fiant, & facta sint, non dignitas nostræ orationis &c. Nos enim credimus & scimus, quod corpus nostrum mysticum Christi non diuiditur morte naturali: & Paulus dicit, claritatem non excidere, 1. Cor. 13.

Quartò, nos igitur Catholici certam formam celebrandi Missam atque canonem habemus, quando ipsi hæretici sic variant, vt nihil certi habere possint, & pessimè dissidēt. Hic facit mensam, alter euertit altare: Hic stat cum casula, alter sine vestimento sa-

crato. in Anglia sedent in scamno, & secundum ordinem alter alteri porrigit & propinat sacramentum, & omnes confusi sunt dissensione mutua, sicut ædificatores turris Babylonicæ, Gen. 11. quorum nullus alterum audit, sed sic dissipat Deus ossa eorum, qui hominibus placent.

AN COMMUNICANTES

sint de necessitate Missæ.

TITVLVS CXIII.

Primò, in omni Missa sacerdos celebras, communicat ipsemet de corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, & hoc propter præceptum & ordinationem Christi, Accipite & comedite, Matth. 26. sed numerus comunicantium nullibi est scriptus, an duo vel tres &c. debeant esse. Ergo quando vnus communicat, id est, sacerdos, satis fit præcepto Christi, quando & seclæ vnum comunicat, id est, ægrotum: Reali ergo communioni vel vnus sufficit.

Secundò, in omni Missa circumstantes (sicut etiam absentes) spiritualiter per fidem comunicantur cum sacerdote, quãdò credunt, dum vident corpus & sanguinem Christi pro peccatis suis traditum. Roma 4. & gratias agunt: illi spiritualiter etiam manducant & communicant.

Etsi non sunt presentes, at tamen quia aut ordinantur aut fundant legi Missas, ad laudem & gratiarum actionem Deo, & ad orandum pro ipsis & omnibus fidelibus, &c. & quotquot sunt qui cupiunt participationem Missæ, illi manducant & bibunt spiritualiter in fide in Missa cum sacerdote. & sic nulla Missa fit sine pluribus comunicantibus. Sic inquit David Psal. 118. Particeps sum ego omnium timentium te. 1. Cor. 10. Vnus panis & vnum corpus omnes sumus,

Tt 5 qui